

Universitas S. Dominici in ejusdem nominis Civitate, & Insula (1) constituta.

Anno 1538
Die 28 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Paulus Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

XLI.

IN Apostolatus culmine, disponente Domino, meritis licet imparibus, constituti, ac gratos Deo, & Reipublice christiane fructus, qui ex literarum studio provenire noscuntur, intra nostri cordis arcana revolventes, ad ea, per que singulis fidelibus etiam Religiosis sub regulari observantia Altissimo famulantibus, eorum Prelatis id maxime requirentibus, ut studio hujusmodi insistendo, laborum suorum honores, & premia consequi valeant, opportune consulitur, libenter intendimus, & in his partes Apostolicę providentię, prout id in Domino conspicimus salubriter expedire, favorabiliter impartimur. Sane pro parte dilectorum filiorum Magistri Provincialis Provincię Sanctę Crucis nuncupate secundum morem Ordinis Fratrum Predicatorum, ac Prioris, & Fratrum domus Sancti Dominici, Civitatis etiam Sancti Dominici, dicti Ordinis Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod alias ipsi, attendentes, quod habitatores Insularum Maris Oceani, in quibus dicta Civitas consistit, infideles existebant, & idola colebant, unde cupientes infidelitatem hujusmodi radicitus extirpare, ac arbores inibi fructiferas plantare, ipsorumque infidelium Civitatem predicationibus, & vite exemplo illuminare, innumerabiles utriusque sexus personas ex eisdem habitatoribus sub lavacro regenerationis ad christiane Religionis cultum mediante divina gratia direxerunt, ac ad fidem catholicam converti procurarunt, & a tempore conversionis hujusmodi citra inibi Verbum Dei incessanter predicando uberrimos in agro Domini fructus collegerunt. Et, si in dicta Civitate, que admodum insignis existit, & in regione valde remota, ac sacrarum literarum profus ignara consistit, & ad quam ex circumvicinis Insulis hominum multitudo copiosa, tam inibi habitandi, quam negotiandi causa confluere solet, & in qua studium Apostolica auctoritate noviter erectum viget Generale, pro directione dicti studii, quod caret privilegiis, & indultis, Apostolicis sufficientibus ad promotiones Graduum concedi solitorum in Universitatibus studiorum Generalium Regnorum Hispanię, quibus dictę Insule subesse noscuntur, similis Universitas Generalis Doctorum, Magistrorum, & Scholarium cum sigillo, & arca, aliisque solitis insigniis, preeminentiis, libertatibus, exemptionibus, & immunitatibus ad instar oppidi de Alcala (3), Toletanę Diocesis, & aliarum Universitatum predictarum perpetuo erigeretur, & institueretur, ex hoc profecto dicta Civitas multiplicatis propterea illius habitatoribus per amplius decoraretur, ac illius, & dictarum Insularum incolę, & habitatores, in Religione Christiana ferventius instruerentur, ipsique Provincialis, ac Prior, & Fratres ad majora virtutum, & caritatis opera impendendum promptius invitarentur, eorumque honoribus, & commoditatibus quamplurimum consuleretur. Quare pro parte Provincialis, Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut in eadem Civitate unam similem Universitatem doctorum, Magistrorum, & Scholarium ad instar dictę Universitatis de Alcala, ut prefertur, que per unum Regentem, seu Rectorem, nuncupandum, regi, & gubernari debeat, perpetuo erigere, & instituere, quodque illius pro tempore scholares, tam seculares, quam Ordinum quorumcunque Regulares, etiam undequaque venientes, inibi in quacunque, licita tamen, literarum facultate, eorum cursibus peractis, aliasque servatis servandis, prout moris est, in aliis Universitatibus predictis, ad Baccalaureatus, & licentię, ac Doctoratus, & Magisterii solitos gradus hujusmodi, previo tamen debito examine, & assistentibus ibidem quatuor in eadem facultate Doctoribus per Priorem prefatum, ac dictę Universitatis Sancti Dominici Regentem pro tempore existentes nominandis, seu deputandis, & illorum votis juratis, se promoveri facere, illorumque solita insignia recipere, ac illius Doctores, & Magistri in dicta facultate, & illis non existentibus, Regens dictę Universitatis, vel Episcopus Sancti Dominici pro tempore existentes, eosdem Scholares ad dictos gradus promoveri, illorumque solita insignia sibi impendere, necnon quoties opus fuerit Lectores illuc conducere, sibi que lectores assignare, & de salariis competentibus, dummodo ad hoc facultates suppetant, providere, ac statuta, & ordinationes desuper ad instar Universitatum predictarum concedere (4), illaque mutare, corrigere, & reformare, aliaque in premissis, & circa ea necessaria, & opportuna, prout eis videbitur, facere possint, statuere, & ordinare, aliasque super his opportune providere de benignitate Apostolica dignemur. Nos Provinciales, Priores, & Fratres, prefatos, & eorum

Exordium.

Diplomatis causa.

Indultum.